



# The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **RIVIANGULANENSIS-LABRAORENSIS\*** In Canada  
constituitur dioecesis

Riviangulanensis-Labradorensis appellanda. Evangelica diligentia quacum munus Successoris Petri unoquoque die  
explere conamur, in praesens Nos impellit ut singularem attentionem ad Ecclesiam quae est in Canada vertamus.  
Fidelium istius Nationis spiritale iter vario modo iuvantes, de quarundam dioecesum unione deque nominis mutatione  
cogitavimus. Idcirco plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, de consilio Congregationis pro Episcopis et  
Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audita etiam Conferentia Episcoporum Canadae et praehabitato favorabili  
voto Venerabilis Fratris Aloisii Ventura, Archiepiscopi titularis Equiliensis et in Canada Apostolici Nuntii, a dioecesi  
Labradorpolitana Scheffervilleensi integrum distrahimus territorium municipiorum vulgo dictorum « Black Tickle », «  
Churchill Falls », « Happy Valley-Goos Bay », « Labrador City », « Natuashish », « Sheshatshiu », « Wabush » et « West  
St. Modeste » idque dioecesi Sancti Georgii Terrae Novae assignamus quae posthac novo nomine *Riviangulanensi-*  
*Labradorensi* appellabitur. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v. d. « Corner Brooke » statuimus templumque  
ibidem extans Sanctissimo Salvatori et Immaculatae Virgini Mariae dicatum, gradum servabit templi Cathedralis, cum  
suo Capitulo cathedrali quod unicum habebitur. Dioecesim Riviangulanensem-Labradorensem iurisdictioni  
Congregationis pro Episcopis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Novae ecclesiasticae  
circumscriptionis regimini praeesse perget Venerabilis Frater Duglasius Crosby, O.M.I., Episcopus  
Labradoropolitanus Scheffervilleensis et hactenus Sancti Georgii Terrae Novae, cuius erit ut inita provisio, recte intellecta  
quoad veram suam significationem, ab omnibus sereno animo ac prompte accipiatur. Ad haec tandem explenda, quae  
per has Litteras statuimus, iam memoratum Venerabilem Fratrem Aloisium Ventura deputamus vel, ipso a sede absente,  
negotiorum Sanctae Sedis in Canada gestorem, necessarias et oportunas iisdem tribuentes facultates etiam  
subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad  
Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus expletae exsecutionis remittendi. Hanc denique  
Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*  
*Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et tricesimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostri*  
*tertio.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IOANNES BAPTISTA card. RE  
*Congr. pro Episcopus Praef.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIX (2007), n. 9, pp. 782-783 © Copyright 2007 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana